



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXIV. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm
Constantinopolitanvm, Eulogium Alexandrinum, &c. De onere pastorali sibi
nuper imposito, & de fide, quam iuxta decreta Conciliorum amplectitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA XXIII.
GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Ancillas Dei, Paulinum presbyterum, & alios
commendat.*Gregorius Anthemio subdiacono.*

INSINUATVM nobis est, ancillas Dei quasdam Nolanæ Ioan. diac. libro 2. cap. 55. ciuitatis in Aboritana domo commorantes, nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex præcepto Dei subuenire nos conuenit, & inopiam earum, in quantum possumus, donante Domino subleuare. Propterea experientia tuæ præsentis iussione mandamus, vt de hac præsentis nona indictione, quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deinceps succedentibus indictionibus annuos viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino presbytero monasterii sancti Erasmi, quod in latere montis Soractis situm est: sed & duobus monachis in oratorio sancti archangeli seruientibus, quod in Lucullano castro iuxta sancti Petri basilicam esse dignoscitur, binos te in præsentis tantummodo solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac, vt impensæ mercedis tu quoque participium sortiaris.

EPISTOLA XXIV.
GREGORII PAPÆ I.AD IOANNEM EPISCOPVM CONSTANTINOPOLITANVM,
Eulogium Alexandrinum, &c.De onere pastoralis sibi nuper imposito, & de fide, quam
iuxta decreta Conciliorum amplectitur.*Gregorius Ioanni episcopo Constantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Joanni Hierosolymitano, Anastasio patriarchæ Antiocheno, a paribus.*

CONSIDERANTI mihi quod impar meritis, ac toto animo
Crenitens, pastoralis curæ pondera portare compulsus
Concil. Tom. 13. Z ij

sum, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud nisi eas, quæ videre nil sinunt, tenebras videt. Nam quid antistes ad Dominum nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreretur, protinus responderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominem, de quo minime præsumpsissem, fieri intercessor erubescerem; quantæ hoc audaciæ est, quod apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse per vitæ meritum non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud grauius formidandum: quia, sicut cuncti liquido nouimus, cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus prouocatur. Et valde pertimesco, ne commissâ mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius nunc vsque delicta Dominus æquanimiter tolerabat. Cum vero utcumque hunc timorem supprimo, & consolatâ mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreo. Perpendo quippe quod omni cura vigilandum est, ut rector cogitatione sit mûdus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus. Quæ videlicet cuncta dum subtili studeo inquisitione perscrutari, ipsa me in singulis latitudo considerationis angustat. Nam, sicut prædixi, curandum summopere est ut rector cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculastergat. Quia necesse est ut esse munda studeat manus quæ diluere sordescit, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa stercoreis insequens lutum tenet. Scriptum namque est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interna * sacraria perducendas, in conuersationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semetipsum ergo quantum

De cura
past. libro
2. cap. 2.
tom. 4.

Grat. 1. qu.
1. cap. 93.
Panor. libro
2. cap. 2.

Isaia 52.

* sacraria

debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum
 vasa viuientia in sinu propriæ conuersationis portat. Hinc
 diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iu-
 dicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale
 cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio
 sola constringat. Nec indiscretum quid vel inutile cogitet,
 qui ad exemplum vitæ aliis constitutus, ex grauitate sem-
 per debet ostendere quantam in pectore rationem por-
 tet. In quo etiam rationale vigilanter adiungitur, vt duo-
 decim patriarcharum nomina describantur. Adscriptos
 enim patres semper in pectore ferre, est antiquorū vitam
 sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irrepre-
 hensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentiū
 indefinenter intuetur: cum sanctorum vestigia sine cessa-
 tione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne ex-
 tra ordinis sui limitem pedem operis tendat. Rursum cum
 me ad considerata debita pastoris opera conféro, per-
 pendo quanta intentione curandum est, vt sit operatio-
 ne præcipuus, quatenus vitæ viam subditis viuendo de-
 nuntiet, & grex, qui pastoris vocem moresque sequitur,
 per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim
 loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem ne-
 cessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox
 libentius auditorū cor penetrat, quam dicentis vita com-
 mendat: quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiu-
 uat vt fiat. Hinc enim per prophetam dicitur: *Super montem*
excelsū ascēde tu qui euangelizās Sion: vt videlicet qui cælesti
 prædicatione utitur, ima iam terrenorū operum deserens,
 in rerum culmine stare videatur, tantoque subditos faci-
 lius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de su-
 pernis clamat. Hinc diuina lege armum sacerdos in sacrifi-
 cium & dextrum accipit & separatum, vt non solum sit
 eius operatio utilis, sed etiam singularis: nec inter malos
 tantummodo quæ recta sunt faciat, sed bene quoque ope-
 rantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam
 morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectuscu-
 lum cum armis tribuitur, vt quod de sacrificio præcipitur
 sumere, hoc de semetipso discat conditori suo immolare.
 Et non solum pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectato-
 res suos ad sublimia armis operis inuitet. Nulla præsentis

Exod. 32.

S. Greg. in
 lib. 1. Reg.
 c. 1. to. 1.
 De cura
 past. li. 2.
 ca. 3. to. 4.

Isai. 40.

Leuit. 7.

1. Cor. 6.

1. Pet. 2.

Ioh. 1.

vita appetat, nulla pertimescat blandimenta mundi, respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat. Vnde supernæ quoque vocis imperio, in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, ut contra aduersa & prospera virtutum semper ornamento muniatur, quatenus iuxta Pauli vocem: *Per arma iustitiæ a dextris sinistrisque* gradiens, cum ad sola, quæ anteriora sunt, nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera eleuent, non aduersa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant: ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulcritudine tegatur, ostendat. Quod recte etiam superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri bysso præcipitur, ut quanta sacerdos clarescere virtutum diuersitate debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aereo colore resplendet, adiungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cælestium surgat, ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque ac hyacintho purpura permiscetur, ut videlicet sacerdotale cor, cum summa prædicat, etiam in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cælestis regni habitum moribus defendat. De hac enim nobilitate spiritus per Petrum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Ioannis voce roboramur, qui ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Auro autem ac hyacintho & purpuræ bis tinctus coccus adiungitur, ut ante interni iudicis oculos omnia virtutum opera ex caritate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul & proximum diligit, quasi coccus ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat, vel sic pro-

ximorum curam exequitur, ut a diuino amore tepescat, quia vnum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta caritatis tenditur, restat procul dubio ut per abstinenciam caro maceretur. Vnde & bis tincto cocco torta byssus adiungitur: de terra enim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens nitore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet torta pulcritudini superhumeralis innectitur: quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinenciam caro fatigatur. Cumque inter virtutes ceteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diuersa superhumeralis specie byssus torta candescit. Rursum cum me ad considerandum debitum pastoris verbum ac silentium confero, pauenti cura perpendo, quod valde necesse est, ut & discretus sit in silentio, & utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui recta libere pertimescunt: & iuxta veritatis vocem, nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deferuiunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos Dominus per prophetam increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare*. Hinc rursus queritur, dicens: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini*. Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione commissi gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastori etenim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam terga tacendo præbuisse? Qui nimirum si pro grege se obicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur: *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam pronocarent*. Propheta quippe nonnunquam in sacro eloquio doctores vocantur, qui dum fugitiua esse præsentia indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos diuinus sermo falsa videre redarguit:

Ioh. 10.

Isaia 56.

Ezech. 13.

Lib. 2. past.
c. 4. tom. 4.

Thren. 2.

Gregor. 1.

Reg. 3. cap.

tom. 1.

quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe aperitionis, sermo est correptionis: quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt redarguere.* Hinc per Malachiam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* Hinc per Isaiam Dominus admonet, dicens: *Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam.* Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotiū ascendit, ut ante aduentum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleuerit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moyse præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris iudicium ex silentio offendant. Scriptum quippe est: *Audiat sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Aptè autem tintinnabula vestimentis eius describuntur inserta. Vestimenta enim sacerdotis, quid aliud quam recta opera debemus accipere; Propheta attestante, qui ait: *Sacerdotes tui induantur iustitiam?* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhaerent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament. Sed considerandum quoque est, ut rector cum se ad loquendum præparat, sub quantæ cautelæ studio loquatur attendat, ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, & cum fortasse sapiens videri desiderat, vnitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque veritas dicit: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne eius eloquio audientium

vnitas

vnitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Hinc in sacerdotis veste iuxta diuinam vocem, tintinnabulis mala Punica coniunguntur. Quid enim per mala Punica, nisi fidei vnitas designatur? Nam sicut in malo Punico vno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ ecclesiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet. Tunc ergo tintinnabulis mala Punica iungimus, cum per omne quod dicimus, vnitatem fidei custodimus. Rursum, cum me ad considerandum confesso, qualis rector in compassione, qualisque esse debeat in contemplatione perpendo, vt & singulis compassione sit proximus, & præ cunctis contemplatione suspensus, quatenus & per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque inuisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens proximorum infima despiciat, aut infimis proximorum congruens, appetere alta desistat. Hinc est namque quod Paulus in paradysum ducitur, cælique tertii secreta rimatur: & tamen in illa inuisibiliū contemplatione suspensus, ad cubile carnaliū mentis aciem reuocat, & cum sanctum coniugium creandorum sit causa liberorum, aliquid etiam eis & de voluptate largitur, dicens: *Propter fornicationes autem vnusquisque suam uxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitū reddat, similiter & vxor viro.* Ecce iam cælestibus secretis inseritur, & tamen per condescensionis viscera, carnaliū cubile perscrutatur: & quem subleuatus ad inuisibilia erigit, hunc mentis oculum ad secreta coniugum inflectit. Cælum contemplatione transcendit, nec tamen stratum carnalium sollicitudine deserit: quia compage caritatis summis simul & infimis iunctus, & in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur, & pietate in aliis æquanimiter ad ima reuocatur. Pro hac suæ compassionis caritatis, iterum dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Hinc rursus ait: *Factus sum Iudæis tamquam Iudæus.* Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, & in se personam infidelium transfigurans: vt ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset, quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi recte voluisset.

Concil. Tom. 13.

A a

Rom. 12.

Exod. 28.

Gregor. 2.
Past. 4.Past. part. 2.
cap. 5. Gregor. 1. Reg. 1. in fine.

1. Cor. 12.

1. Cor. 7.

2. Cor. 11.

1. Cor. 9.

Past. 2. c. 5.

2. Cor. 5.

Diff. 88. c. 1.

Gen. 28.

Grat. dist.
88. cap. 1.

Hinc iterum dicit: *Siue mente excedimus, Deo; siue sobrii sumus, vobis*: quia & semetipsum nouerat contemplando transcendere, & eundem se auditoribus condescendendo attemperare. Hinc Iacob Domino scalæ desuper innitente, & vincto deorsum lapide ascendentes & descendentes angelos vidit, quia scilicet prædicatores recti, non solum sursum sanctum caput ecclesiæ, videlicet Dominum, contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplatione rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur. Intus Dei arcana considerat: foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, & coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum procul dubio rectoribus præbens, vt cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his, in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hinc ipsa veritas per susceptionem nobis nostræ humanitatis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in vrbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, vt etsi iam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & quo benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. In qua videlicet compassione necesse est vt talem se, qui præest, exhibeat, cui subiecti quique occulta quoque sua proderi non erubescant: vt cum tentationum suarum fluctus paruuli tolerant, ad pastorem mentem, quasi ad matris sinum, recurrant: & hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, & lacrymis orationis lauent. Vnde & ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est, luterem, duodecim boues portant, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid namque in duodecim bobus nisi vniuersus pastorem ordo signatur? De quibus lex, Paulo differente, dicit: *Non obturabis os boni trituranti*. Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum iudicem, quæ illos posterius ma-

Exod. 30.

1. Cor. 9.

neant in occulta retributione, nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam abluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant, ut quisquis intrare æternitatis ianuam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, & quasi in boum lutere cogitationis vel operationis manus lauet. Et fit plerumque ut dum rectoris animus aliena tentamenta condescendendo recognoscit, auditis tentationibus & ipse pulsetur: quia & hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua procul dubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt: quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur. Rursus cum me ad considerandum confero, qualis in humilitate, qualisque esse rector debeat in districtione, perpendo: quoniam necesse est, ut & bene agentibus sit per humilitatem socius, & contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, quatenus & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, prioratus sui potestatem agnoscat, ut & honore suspensio æqualem se subditis bene viuentibus deputet, & contra peruersorum culpas ex zelo iustitiæ excrescat. Hinc est namque quod Petrus auctore Deo sanctæ ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, & sese ei humiliter proster-nente, immoderatus venerari recusauit, seque illi similem recognouit, dicens: *Surge, ne feceris, & ego homo sum.* Sed cum Ananiæ & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super ceteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, & summum se intra ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnouit. Hic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, illic zelus ultionis vim aperuit potestatis. Hinc est quod Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri.* Ad quæ ideo adiunxit: *Fide enim statis*; ac si id quod protulerat aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, in

Gregor. in
Ezech.
hom. 18.
Reg. ep. 38.
lib. 4. past.
2. cap. 6.

Act. 10.

Act. 5.

2. Cor. 1.

quo vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se esse fratribus nesciebat, cum diceret: *Facti sumus paruuli in medio vestrum*: & rursum: *Nos autem seruos vestros per Christum*. Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, inuenit, illico se magistrum esse recoluit, dicens: *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Summus itaque locus tunc bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Bene acceptam potestatem regit, qui & tenere illam nouit & impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa ceteris in æqualitate componi. Sic autem seruanda est virtus humilitatis, vt non soluantur iura regiminis: ne dum prælatus quisque plus se, quam decet, deiicit, subditorum vitam restringere sub disciplina vinculo non possit: & sic seruanda est disciplinæ seueritas, ne, dum plus quam necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. Sæpe namque vitia virtutes se esse mentiuntur, vt tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio pietas velit videri. Disciplina ergo vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed magna discretionis arte seruanda est, & iuste consulens misericordia, & pie * fæuens disciplina. * *scilicet*

Hinc namque est quod docente veritate per Samaritani studium, semiuuius in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur: vt per vinum scilicet mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Necesse quippe est, vt is qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mordeantur putrida, per oleum sananda foueantur. Sit ergo amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans. Quod bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna est: quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga distractionis, & sit manna dulcedinis. Suscepto itaque pastoralis curæ onere, cum cuncta hæc atque alia huiusmodi multa confidero, videor quod esse non possum; maxime quia hoc in loco quisquis pastor dicitur, curis exterioribus grauiter occupatur, ita vt sæpe incertum fiat, vtrum pastoris officium, an terreni proceris agat. Et quidem quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus a curis exterioribus non potest, sed tamen curandum magnopere

1. Theff. 2.

2. Cor. 4.

1. Cor. 4.

Grat. 41.
cap. 6.
Greg. Mor.
lib. 20. c. 8.

Luc. 10.

est, ne ab his immoderate deprimatur. Vnde recte ad Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua.* Quid enim signant capilli in capite, nisi exteriores cogitationes in mente? Qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex negligenti actorpenti sensu: quia inopportune prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia ergo cuncti qui præsumunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; sacerdotes recte & caput prohibentur radere & comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Vnde bene dicitur: *Tondentes tondeant capita sua:* ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis, & ad quantum necesse est prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatus excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorum prouidentiam corporalis subditorum vita protegitur, & rursus per immoderatam alta cordis intentio non impeditur, quasi capilli in capite sacerdotis seruantur, ut cutem cooperiant; & refecantur, ne oculos claudant. Sed hoc in loco huius discretionis moderamina video seruari non posse, quia tanti quotidie casus imminet, ut mentem simul obruant, cum vitam corporalem necant. Vnde, fratres carissimi, per venturum iudicem rogo, per multorum millium angelorum frequentiam, per ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, sub hoc pastoralis curæ onere lassescentem orationis vestræ intercessione me adiuuate, ne suscepta me pondera ultra vires premant. Memor vero quod scriptum est: *Orate pro inuicem ut saluemini*, etiam impendo, quod peto. Sed recipiam quod impendo. Dum enim nos vobis per orationis opem coniungimur quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus, fitque ex magna prouisione caritatis, ut eo singulorum robustius pes figatur, quo in alterum alter ininitur. Præterea, *quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, sicut sancti euangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nixænum scilicet, in quo peruersum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Mace-

Ezech. 44.

Iacob. 5.

Rom. 10.

Grat. dist. 15. cap. 4.

donii error conuincitur, Ephesinū etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur. Calchedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura confurgit, & cuiuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Iba dicitur, erroris plena reprobatur: in quo Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos ligant, aut religare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Iesum Christum Filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus in vnitæte Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANASTASIVM PATRIARCHAM ANTIOCHENVM.

Conqueritur de onere pastorali.

*Gregorius Anastasio patriarchæ Antiocheno.*Idem fere
supra ep. 7.Ioan. diac.
libro 1. cap.
49. lit.

SCRIPTA vestræ beatitudinis, vti fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbra æstuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa: quia sic spiritalem amorem suum, quem gestabant, aperuerunt, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod scriptum est, quia amor vester terrena me portare onera præcepit, & quem prius spiritualiter diligebatis, postea, vt æstimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis; ita vt omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contem-